

Bibliothèque numérique

medic@

**Penne, Jean-Baptiste de - candidat /
Dubertrand, Roch - président. - D. O.
M. Positiones Anatomicae Et
Chirurgicae.**

1754.

***Paris : Typis Fr. Delaguette
Chir. Collegii Typographi
Cote : ms 2333 n°131***



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes
.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax12x0131](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax12x0131)



D. O. M.
POSITIONES ANATOMICÆ
ET
CHIRURGICÆ.

EX ANATOMIA.



T in Machinâ hydraulicâ ad liquorum circuitum liberum & perfectum vasorum requiritur integritas omnimoda, sic & in corpore humano. Quâcumque enim de causâ in hoc vitietur, effunduntur humores, & nisi resolutionem subeant prosperam, intrâ partes corporis grassantur, fluctuant, putrescunt, indurescunt-ve, tumoresque exhibent, quorum species, licet ad quatuor ab antiquis, ratione humoris stagnantis, revocatæ, tamen velut innumeræ respectu partium humores excipientium spectari possent. Illas igitur indigitare omnes, opus longè diuturnius: ideo unam tantum



à seroso latice oriundam , & scrotum sæpè sæpiùs afficientem ; sedis ipsius exploratione præviâ , jam jam considerabimus.

PARS in viris infra abdomen pendula , corrugata , ipsius cuti & mentulæ continua , pinguedine destituta (a) , plurimis glandulis sebaceis munita , pilis & pilorum bulbis instructa , in dextrum sinistrumque latus , futurâ fictâ raphe dictâ , à radice Balani ad anum usque bipartita , bursam æmulans , *Scrotum* dicitur.

CORPUS quoddam panniculosum , carneum , *Dartos* nomine , pubis inferiore ramo ex utroque latere affixum , nervis arteriis , venisque scroto communibus refertum , ità ipsimet scroto interiùs adhæret , ut unicuique testi loculum præbeat , & inter utrumque , septum efformet (b) : totum , suâ contractione , juxtâ diversos viriles affectus , plus minùs-ve corrugat scrotum.

PROPRIA , illis apertis , sese offerunt involucra , quorum exteriùs cellulare & prò peritonæi processu ex æquo habendum , vasa præparantium non solummodò plexum , sed & ipsum-met testem , vaginæ ad instar , continet ac fovet : illud , *vaginalem* tunicam quæ in superiorem cellularem , ab annulo inguinali ad epididymidem , ubi intimè hæret , & in inferiorem ab epididymide ad totam testis superficiem , ipsius involvendi causâ , expansam , dividitur : hanc *periteselem* dixerunt.

VAGINALIS à latere externo , altera fibris carneis à musculo obliquo interno & transverso ad exteriorem testis faciem emissis constans observatur membrana : à substantiâ , *Musculus* ; à munere quo fungitur , *Cremaſter* seu suspenſor ; & à colore *erythroidea* seu rubra nominatur.

ULTIMA denique sive testis tertia membrana , propriæ ipsius substantiæ immediatè adjacens , dura , crassa , valida admodum , exteriùs lævis , madida , albicans , interiùs inæqualis , didymorum vasculis exquisitissimis suo loco stabiliendis aptatas suppedirans membranas *Albuginea* conspicitur.

Ex tam ritè ordinato involucrorum apparatu organum quod-

(a) Mangerus in Theatro Anatomico lib. 2. cap. 10. asserit in quibusdam obesis pinguedinem observasse.

(b) Vid. Ruifsch, & Rau , de Septo Scroti , & Morgagn. adversar. Anat. 1. pag. 20.

3

dam insigne, & notatu dignissimum ab ipsis protegi, nonne con-
jicere est? testem videlicet præcipuum propagationis ministrum
sub ipsis reperies: figuram ovalem præ se ferens, intus congeriem
minutissimis vasculis, albicantibus, diversimodè intortis (a),
semen fecernentibus, nervis, arteriis, venisque tum sanguineis
tum lymphaticis mirificè implicatis conflata exhibet: huic cor-
pusculum oblongum, planum, horum-ce vasorum veluti coadu-
natione compositum, Epididymus seu parastata incumbit, quæ
fursùm progrediens, ità crassitie minuitur ut, uno ductu, in vas
deferens (b) spermatici funiculi texturam ingrediens desinat.

E X C H I R U R G I A.

QUANTUM artificium, quanta naturæ sapientia in didymo-
rum tentoriis elucescat, prò tamen sorte humano generi ni-
miùm solitâ, à latice involucrorum, quin & didymorum inco-
lunitati dicato, ità nonnunquam infestantur, ut ex ipso salutis
fonte hydram immanem emergi non malè dixeris. Hunc varias
scroti regiones occupantem, modò diversantem, modò serpen-
tem, aliquandò corrodentem, attentæ praxis ope, facillè videre
est. Ut ut sit, ubicumquè scroti, sub specie tumoris aquosi, sese
prodat, *Hydrocele* dicitur.

A loco quem invadunt aquæ, desumuntur præcipuæ hydroceles
differentiæ; itaque si textus cellularis adaquetur, *per Infiltrationem*;
si verò quibusdam in membranis tanquam in loculo coacerventur,
per Effusionem erit hydrocele.

PRÆTER eas quas fieri cognoscimus in marsupiorum textu cel-
lulari, & tunicâ vaginali tum funiculi spermatici (c), tum testis,
alias expoluérunt veteres, nonnullique recentiores, quarum undæ
spatium dantum inter & cremasterem, hunc inter & tunicam vagi-
nalem, necnon intrâ lamellas tunicam vaginalem testis consti-
tuentes positum, ipsam-met denique testis substantiam, occu-
pant. Nostram de illis inquirenti, non minùs neotericorum expe-
rientiæ quàm veterum auctoritati consulentes, seorsim aperiemus
sententiam.

(a) Vid. Compend. Anat. Heist. tab. VI. fig. 24. edit. 1748. Cheseld. Anat.
tab. 28.

(b) Vid. Graaf. Tract. de Virorum organis generationi inservientibus.

(c) Vid. Boerhav. Aphorism. pract. §. 1227.

FLUIDORUM effusio (a), stasis, perversio, vasorum dilatatio; quid quid arterias aut venas comprimere, inflammationem producere potest, ut impura venus, Gonorrhæa suppressa, sarcocele, cirrocele, compressiones, vis externa quælibet, topica nimis re-percutientia, vita cælebs quam ratam non habuit temperamentum, tanquam causæ legitimæ hydroceles; ascites verò (b), in scrotum vesicæ urinariæ prolapsus, tanquam spuria habeantur.

HYDROCELIBUS sive per effusionem, sive per infiltrationem sua sunt signa propria. Cutis nimis tensa, lævis, opposito lumine perspicua, mentula longior, crassior, pellucidior, balanus paraphimosi constrictus, hydrocelem per infiltrationem indicant.

CUTIS neque tam tensa, lævis, lucida, sed plùs minùsve corrugata, nonnunquam oblitteratâ mentulâ, hydrocelem per effusionem designat.

A causâ, sede, tempore, ætate, accidentibus deducenda prognosis, variaque instituenda curandi methodus.

GENERALIORIBUS remediis ritè adhibitis, victu scilicet tenui, diureticis, phlegmagogis, necnon topicis v.g. spiritu camphorato lumbricorum oleo immixto, cataplasmatibus resolventibus, aquâ calcis spiritu vini acutâ, hydrocelis benignæ & idiopaticæ obtineri potest cura; si verò sympatica, causæ remotæ, pro naturâ suâ, antiscorbuticis v.g. si scorbuticum sit vitium, antivenereis, si venereum, incrassantibus, si ab humorum dissolutione, diluentibus, si ab eorum crassitie, feliciter debellantur, adhibendaque præ cæteris fascia, quam *Suspensorium* vocamus.

(a) Ex fluidis hydrocelem per effusionem efformantibus, urinam quandoquæ, hydroceli non levioris momenti ansam dare observatur. Cum verò hæc effusio, vesicæ aut urethræ vitium supponat, in istius vitii curâ reponitur hydrocelis curatio; de quâ proindè differentes à nostro aberraremus proposito; hic tantum annotare sufficiat gangrænam hydrocelis ab urinâ effusâ productæ comitem, cortice Peruviano in spiritu vini per 24 horas infuso feliciter sanari.

(b) Saccus peritonæi Enterocalem olim continens, sed, propter adhesionem nimiam cum annulo, in abdomen non refusus, ab ascite undas recipere potest; tunc erit species quædam hydroceles quæ spuria tantum haberi debet, quia in testis aut funiculi spermatici involucris non continetur. Hujusce hydrocelis curam indicasse videtur Hildanus, licet præjudiciis excæcatus, tunicam nempe vaginalem ab ipso peritonæo oriri reputans: aquâ incisioneeductâ, hujusce tunice parti superiori filum injiciebat, ut abdomen inter & scrotum aquis commercium intercluderetur. Observat. 66. centur. 4. Hildanum errasse tum circa curam, tum circa sedem hujusce hydrocelis, ascitæ naturâ, & partium structurâ præcognitis, observare non arduum.

PRÆDICTIS hiſce remediis, ſi non cedat hydrocele, ad operationes Chirurgicas recurrendum, quando-quidem in humoris evacuatione, & ſacci exciſione tota debet eſſe indicatio.

INCISIONES & ſcarificationes in hydrocelibus membranæ adipoſæ, tenſione nimia aut putredine concomitatis, ſunt celebrandæ, antifeptica inſupèr non omittenda.

QUOAD operationes Chirurgicas in hydrocele tunicæ vaginalis inſtituendas, vel ad curam palliativam, vel ad perfectam tendunt.

ACUM triquetram, erecto, vel in lecti margine ægro ſedente, per infernam & externam ſcroti partem, ad tranſverſi pollicis circiter longitudinem, ne teſtis lædatur, adigendo; è tubulo, ut humor collectus emittatur, educendo, & ſcroti contractionis favendæ cauſâ, ſplenia craſſa ſpiritu vini, aquâ calcis, vino calido &c. imbuta admovendo perficitur hydroceles curatio, quæ nonnunquam in hydrocele recenti perfectæ eſt (a), ſed in aliis palliativa tantùm, & ideò poſt aliquot meſes, abſque ullo ægri incommodo, iteranda.

AQUAS, temporis lapſu, acridinem quamdam induere, & ſubrubras, luridas, grave-olentes, per tubulum effluere, funiculi vel teſtis vitium ſub-indicantes, aut etiam præ tumoris antiquitate & magnitudine, multùm increſcere ſcrotum, craſſitiemque nimiam acquirere cyſtidem quàm ut, elaterio reſtituto, in priſtinam molem reſtitui valeat, hæc infrequentèr obſervatur: tunc ad perfectiorem curam recurrendum.

TRIPLICI medio, ſetaceo ſcilicèt, cauſticis, & ferro hæc obtinetur; quæ ſingula licèt non ſempèr æquè præſtent, alterum tamen alteri quandoque non immeritò præferri debet.

IN hydrocele recenti tunicæ vaginalis funiculi ſpermatici, quæ ut plurimùm cellulofa, ſetaceum digellivis, poſteà epuloticis illinitum, dùm cellulæ nec magis diſtenſæ, nec craſſæ, proponimus.

MEDIANTE acu parum incurvatâ, ſatquè latâ, ad plures diſrumpendas cellulas, per ſuperiorem, lateralem & externam ſcroti

(a) Conf. Scultet. Armament. Chirurg. tab. XL, fig. 2.

partem ad inferiorem, juxtâ longitudinem tumoris, trajicietur. Setacei sic trajecti, & in vulnere relictî, usquë ad perfectam detersionem & cicatricem accedentem usus renovabitur: quo medio cietur inflammatio nonnisi suppuratione cellularum sedanda: quâ suppuratione cellulæ quæ, propter subitam, post incisiones absque setaceo, depressionem, difficilè admodum destruerentur, paulatim è contrâ penitusque delentur (a).

Si antiquior esset tumor, quod cellularum crassitiem, aut amplior, quod cutis attenuationem supponeret; tunc incisionis ope, quâ, salvo funiculo, vel detectæ distraherentur & separarentur cellulæ plenæ adhuc & ingurgitatæ, vel tota tolleretur cutis attenuata, aggregienda est curatio.

A causticorum usu, tanquam inflammationem, divulsionem, febrem, erosionem, hæmorrhagiam promovente, abstinendum, nisi, inciso tumore, quædam detegantur concretiones (b) cuti pertinaciter hærentes, atquë difficilîus in suppurationem abeundæ; quo in casu, cellulis quâquaversum apertis, humor est ita eliminandus, ut, subjecto oculis funiculo, cavum plumaceolis impleri queat, quorum superficies, præsertim versûs tegumenta, causticis idoneis, suppurantibus, deterfivis, epuloticis, alternâ vice, obliniatur.

HUMORUM acrimoniâ erodunturne cellulæ vaginalis tunicæ funiculi spermatici, ita ut in amplâ & unicâ cavitate contineantur? proæ nimîâ humoris effusi quantitate, nimîum distenditur tunica vaginalis testis? tunc hæmorrhagiam, inflammationem, febrem (c), gangrænâ, abundantiores suppurationes, membranarumque majorem deperditionem pedissequam amovere, Chirurgi præcipua mens. Idcirco triquetra acûs ope, humoribus eductis, scrotum corroborantibus fovere, simulque suspensorio continere debet,

(a) Marinus hoc in casu sic sese gerebat..... tumorem in parte superiori & externâ, id est mox ab inguine, incidebat, ut turundæ ex cerâ & oleo paratæ, digiti crassitudine, trium digitorum transversorum longitudine, cujus apex sensim gracilescens paulò incurvabatur, pateret aditus; unguento de Althæâ inunctam in scroto per 24 horas relinquebat turundam de die in diem breviorē efficiendam, & digestivis, deterfivis, epuloticisque vicissim obliniendam. pag. 230.

(b) De hujusmodi concretionibus luculentè differuit Clariss. Bertrandi in Reg. Taurinensi Universitate Chirurg. Mag. & Acad. Reg. Chirurg. Paris. Socius Extraneus, in cœtu privato ejusd. Acad. an. 1753.

(c) Vid. Sharp. pag. 113. *Recherches Critiques.*

7

donec humoris recens effusi collecta quantitas ; multò tamen minor educta , appareat : quo tempore , scalpello aperire non dubitet , cystidis suppurationem digitis , folio myrtino , levibus scarificationibus sese decussantibus , nonnunquam superficiali butyri antimonii illinitu provocet ; nec malè cautos æmuletur , qui totum suppurationis opus naturæ committentes , viscidam , colligatam , partes vicinas adulterantem , gangranam sæpè allicientem , per longum tempus , efformari sinunt materiem .

DIGESTIVIS , deterisivis , cicatrisantibus , necnon , pro re nata ; corroborantibus , ad corrugationem scroti , adjuncto suspensorio , absolvenda curatio .

Si ea sit sacci crassities , ut , post peractam acu puncturam ; scrotum contrahi nequeat , inutilis fieret methodus proposita ; Causticorum applicatio , propter gravia accidentia , quæ membranarum , præcipuè callosarum , viscidam & putridam suppurationem antecedere consueverunt , periculosissima ; Ergò in totius cystidis , & scroti huic adherentis ablatione unica spes remanet .

OMNIBUS diligentissimè præcautis , ritè collocatur æger , juxta longitudinem scalpello inciditur tumor , adeò ut testis , sicuti par est , detectus , à scroto resolvi queat ; quo sejuncto , quænam sit ipsius conditio non animadvertere , ingentem noxam autumamus ; vel enim sanus , vel affectus . Si sanus , minister illum , mediante linteo vino calido imbuto , sublevans , dum cystis excidetur , naturæ de votis , proteget . Per curationis tempus subsequens , testem pensilem linteo hordei & melissæ aquarum mixturâ imbuto involvere , vulnusque methodo debitâ ad supurationem , incarnationem , & cicatricem perducere supererit . Si verò sit affectus , diversa , pro variâ affectionis specie , celebranda encheiresis (a) .

(a) Sharpius asserit incisionem juxta longitudinem tumoris ut plurimum sufficere ad curationem perfectam hydrocelis tunicæ vaginalis... pag. 111 , siquidem partium distensarum corrugationem producendo , earumque inter se & testem adhæsiōni favendo , exsillantia obturantur vasa , oblitescitque excipiens cavitas pag. 110 . si quibusdam in casibus frustulum cutis & cystidis ovale tollere cogitur , hæc ei crudelior videtur operatio ; quæ tamen in eis , juxta nos , sæpè sæpius non sufficeret .

Has , in hydrocelibus recentibus in quibus ultra modum non distenditur cutis , utiles fieri posse fatemur ; sed in quibus nimiam acquisiverit crassitiem , vel nimiam distensionem passus fuerit sacculus , inutilis fieret alterutra incisionis species , ex eo quod virtutem contractilem curationi necessariam amiserint partes .

Rem itaque sedulò perpendentes , censemus Sharpium de reipublicæ bono longè melius meritum fuisse , si , proluxioris nec satis perpensæ censuræ loco , utilioris variisque casibus methodi competentis explanationem substituisset , cujus solidis excellentiam dein demonstrasset experimentis .

SARCOMA, schirrus, gangræna testis aut funiculo penitus infusa, perfectam, sed leviter tantum, & ab origine, non, nisi cæteris omnibus mediis frustra adhibitis, excisionem requirunt.

VARIAS inter in scroto, hydrocelis curandæ causâ, incisiones celebrandas, vasa densatas per membranas serpentia, valdè dilatata, & ferro aperta, hemorrhagiam à Chirurgo non despiciendam, haud rarò suppeditant. Hanc stipticorum ope, & ferè nullo negotio, modò compescet; modò tamen, præsertim ubi diametro majore vasa dehiscunt, ut in septo darti, ad ligaturam, velut ad anchoram tutiorem, illicò confugiet.

QUÆDAM post operationem, licet cautelâ quâcumque adhibita, tunicæ vaginalis portiuncula subsistere potest, tunc linteam carptum, cujus superficiesversus membranam reliquam melle rosaceo cum sufficiente quantitate spiritûs nitri, ad aciditatem, commixto illineretur, altera verò superficies, tanquam pulvinar, funiculo spermatico admoveretur, vulneri imponendum: adjunctâ insupèr deligatione modò laudatâ.

Has Theses, DEO JUVANTE, & Præside M. ROCHO DUBERTRAND in Universitate Parisiensi Artium & Chirurgiæ Magistro, Scholarum antiquo Moderatore, necnon Nosocomiorum Castrensiûm & Regis exercitûs olim Chirurgo, tueri conabitur JOANNES-BAPTISTA DE PENNE, Lascuriensis, eâdem in Universitate Artium Liberalium Magister.

P A R I S I I S,

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS.

Die Lunæ 19^a. Augusti, à sesqui-secundâ post meridiem ad septimam, anno Domini 1754.

PRO ACTU PUBLICO
ET LAUREA MAGISTRALI.

Typis FR. DELAGUETTE, Chir. Collegii Typographi.